CARMINA TRIA

Petri Cauſton Merc. Lond.

1. De Conflagratione *Londini*
2. In Laudem *Holandiæ*,

} nunquam antehac edita

3. *Tunbrigialia*, Editio Tertia.

Imprimatur,
Septemb. 17, 1689. *R. M.*

LONDINI,

Typis *J. Richardſon*, proſtant venalia apud *Thomam Mercer* Bibliopolam ad inſigne Lunæ dimidiatæ ſupter Burſam Regalem in vico, dicto, *Cornhil.* MDCLXXXIX.

P. CAUSTON

PHILO-MUSIS

ANGLO-BRITANNIS

SALUTEM.

HAbetis hîc, Vⁱ. Cⁱ., *carmen de conflagratione Londini, quod iniquitate temporum, per aliquot luſtra inter chartas latitans, hactenus in publicum prodire extimuit, nec jam, niſi ſummâ amicorum contentione, prodiiſſet; Vix enim fieri poſſe judicabam, quin (quod minimè cupiebam) uni vel alteri partium, ſi non omnibus & ſingulis, offenſæ foret. Ut itaq; omnem a me, ſi tamen poſſum, contumeliam amoveam, carminis morem breviter exponam. Auctores & Fautores incendii, ex Regis & Parliamenti, totiuſque adeò Populi ſententiâ deſcripſi, nequis hoc, ut meum commentum, calumnietur: De ejuſdem initio, progreſſu, duratione, & extinctione, non niſi quæ aut ipſe vidi, aut a dignis fide viris certa, explorata habeo in medium protuli. Si verò aliquot poëticos interpoſuerim floſculos, habeo qui me vindicent Virgilium necnon et Horatium, cujus eſt.*

Ficta voluptatis causâ ſint proxima veris.

Nec mihi id vitio verſum iri ſpero, quod illis laudi fuerit. Sanctè enim juro me a ſtudiis partium prorſus alienum, hoc unum, hiſce edendis, in animo habuiſſe, ut poſteris (ſi quid mea car-

mina possunt) tam sæva tantæ urbis calamitas magis magisq; innotesceret. Habetis insuper Tunbrigialia, *denuo edita, cujus rei causam paucis docebo. Jam annus est ex quo omnia, ad unum, superiorum editionum exemplaria amicis dedi: Quumq; vestrûm complures, alia aliaq; a me iterum atq; iterum peterent, tandem Typographo, illorum in gratiam, iterum cudenda & publicanda permisi.*

Porrò, quandoquidem Holandi *duce Auriaco Principe, nostro nunc Rege Bellicosissimo, tam bene nuper de nostratibus sunt promeriti, vobis forsan non ingratum fuerit, quod quam olim* Amstelodami *declamatiunculam Poëticam in laudem* Holandiæ, *in amplissimo doctissimorum virorum consessu, totâ stipante scholâ, pronuntiandam exhibui, eandem nunc vobis etiam unà cum hisce binis carminibus meis exhibendam curaverim. Cæterùm, non me latet carminum meorum tenuitatem, dignitati materiæ haud parum detrahere, quis enim tantis dignè describendis rebus par esse queat? Verumtamen, modò qualia qualia sunt, vobis vel commodo vel oblectamento fuerint, non est quod me laboris peniteat mei,* Valete.

Londini

LONDINI Conflagratio

CARMEN

Strenæ loco Miſſum

ad R. V.

Calendis *Januarii*, Anni $166\frac{6}{7}$.

LÆta dies rediit qua ſol *feliciter* orbe
Annuus emenſo, nova reddere ſecula mundo
Geſtit, & elapſum reparare benignior annum;
Hac me Muſa die rerum proſcribere curas
Cogitq; & ſtudiis jubet inſervire ſolutum:
Hac te *Ralphe* die mea parvula carmina juſſi
Ire ſalutatum, veniamq; precarier auſis
Si fortè offendant animo divina parantem.

Londini Conflagratio

Bataviæ quondam terræq; & gentis honores
Exili plectro luſi, at nunc triſtia fata
Lugeo, deletamq; infeſtis ignibus urbem
Quà Tameſis præceps fertur, vaſtâq; feroces
Pontis mole dolet ſubter juga cogier undas,
Ædeſq; impoſitas ſuper ipſum fluminis alveum
Verticibus (viſu mirabile) vincere nubes.
Dic mihi Muſa quibus ducibus, quibus artibus altæ

Creve-

Creverunt flammæ, quis ferrea pectore corda
Condens, fatales accenſerit, auxerit ignes.

* *Pudding-lane.* Viculus eſt vulgo farti * cognomine notus,
Hîc primùm ſua tela jacit Vulcanus, & unis
Ædibus infenſum ſimulat, facilèq; repelli
Poſſe videbatur, ſi primum cura furorem
Provida tentaſſet compeſcere. More vetuſto
Conſul prætoreſq; adſunt, ſed fata reſiſtunt,
Iratiq; Dii; fertur nocturnus Iacchus
Illorum obcæcaſſe animos, prudenſq; *Minerva*
Deſeruiſſe urbem, tum cum lex dura miniſtros
Chriſti omnes, ſacris qui permiſcere negârant
Ambiguos ritus, juſſit ſecedere, vota,
Tot juſtûmq; preces ne numina ſumma piarent;
Æolus inflârat ventos, & Juppiter æſtu
Inſolito miſeram flammis devoverat urbem:
Sola Thetis, ſummâ, triſtis conſederat arce,
* *The Water-work by the Bridge.* Lignea * quæ mediis exſtructa in fluctibus undas
Surſum ferre ſolet, rapidèq; referre deorſum
In medios urbis vicos; hanc Mulciber irâ
Percitus ut vidit, tu vana reſiſtere noſtris
Fatorumq; audes conatibus? inquit; at hinc te
Quin celeri rapias pede, nam mihi præda futura eſt
Arx tua, vix tremulam ſe condidit arce relictâ
Undis, quum flammis glomerantibus undiq; preſſa
Machina terribili ſonitu ruit; inde citato
Ignea vis curſu, nullo remorante, vagatur
Intrepidè, facilèq; ſolo quæq; obvia ſternit.
Sic ubi montanis, campeſter, fluctibus, auctus
Intumuit torrens, & ſuetas aggere rupto
Tranſiliit ripas, vagus arripit obvia ſaxa,
Præcipiteſq; trahit truncos, & gurgite lato

Sternit

Sternit humi quercus, hominumq; boumq; labores,
Feſtinatq; ipſas evertere funditus urbes:
Sic, ſic flamma furit, rapidèq; per intima fertur
Viſcera Londini, crudeliſq; obruit ædes.
Ille hominumq; Deiq; hoſtis, cervice revinctus
Sacrilegâ, triplici diademate, templaq; Chriſti
Sancta tenens, fallax ſimulator, & arte paternâ
Inſultans animis, ſeptem qui collibus URBIS
Aſtutè dominatur, & arbiter orbis haberi
Geſtit, Chriſtiadas ſupplantans cæde doloq;,
Fertur ſelectos miſiſſe per *Anglica* regna
Ignatios Patres, *Sanctum* qui nomen Iësu
Arripuere ſibi, cædiſq; doliq; miniſtros,
Sic fatus. Chari, nonne *Anglica* regna videtis
Hæreticis famoſa novis? qui dogmata *Petri*
Divina irrident, nobis vobiſq; ruinam
Æternam meditantur, & altis mænibus Urbis
Londini innixi jactant *Babilona* ruendum?
Si vos relligio movet, aut Eccleſia mater
Sacra *Petri* ſedes, propriæ ſi cura ſalutis,
Aut ſi noſter honos, properantem avertite cladem,
Et quâ nos terrent, iſtos delete ruinâ,
Ite, agite, infeſtam ſubvertite funditus urbem.
Accingunt operi celeres, & trans mare currunt,
Audierant, olim, *Vulcano* ardente, vetuſtam
Interiiſſe urbem; juvat ire, ac in ſua vota
Attraxiſſe Deum, precibuſq; & ponderis auro
Ingentis, veteres ut rurſum exerceat iras;
Jurant ſe ſocios; victus Deus annuit auſis.
Ergo ubi Vulcanus, diri ſub imagine *Galli*,
Sulphureis primas telis invaſerat ædes,
Loyolitarum circumvolat improba turba,
Ceu præceps actus violento turbine ventus,

Hac

Hac atq; hac flammam facibus flagrantibus augens.
Jamq; igni crescente, vorat flamma horrida montem
Sacratum *Cereri* 1, vicos queis Gratia * nomen
Lombarda 2 & *Bombarda* 3 dedit, *Veneriſq;* 4 diei,
Et Ligni 5, & Patris 6 notos cognomine noſtri,
Quoſq; ingens olim *Tameſiſq;* 7 & *Fleta* 8 *vetuſta*
Inſigniverunt, fora Portæ dicta 9 recentis,
Vicum 10 quem vili pretio merx vendita clarum
Reddidit, innumeroſq; alios; tua templa *Joannes*,
Nec tu *Laurenti*, nec *Paule*, vel alma *Diana*,
Nec *Michael*, nec tu veneranda Deipara Virgo
Eripere huic monſtro poteras; non marmore ſtructæ
Turres, ſaxifragæ valuêre reſiſtere flammæ;
Sed veluti magnâ in navi, cum ſæva coorta eſt
Tempeſtas, rauco funis ſtridore rudenſq;
Frangitur, atq; illac nutans atque hac malè firmus
Jamjam merſuram minitatur rumpere puppim
Malus, ſollicitus crebrâ ferit ipſe bipenni
Nauclerus truncum, cadit alto vulnere victus,
Et tumido longè dat noxia corpora Ponto;
Sic cum flamma vorax, trabibuſq; & poſte peruſto,
Fundamenta cavat, labat alto pondere turris,
Horrendùmq; fremens dat membra cadentia terræ.
Quis ſtrages miſeras, nocteſq; dieſq; nefandos;
Quiſnam templa Deûm, quis tecta flagrantia latè
Explicet! horribilemq; fugam juvenumq;, virumq;,
Infantumq; metus, & fœmineos ululatus!
Non, mihi ſi ex oculis manaverit uber aquarum
Rivus, ſat deflere queam tam nobilis Urbis
Excidium, tanto ſi nomine dicere fas eſt:
Londinum fuimus, fuimuſq; antiqua *Britannûm*
Gloria, nunc cineres triſtes, urbiſq; cadaver:
Hîc tecta, hîc turres, hîc templa jacentia fædè

Cernitis

1 *Cornhil.*
* *Grace-church ſtreet.*
2 *Lombard-ſtr.*
3 *Cannon-ſtreet.*
4 *Friday-ſtreet.*
5 *Wood-ſtreet.*
6 *Pater-noſter Row.*
7 *Thame-ſtreet.*
8 *Fleet-ſtreet.*
9 *Newgate-Market.*
10 *Cheapſide.*
The ſeveral Churches dedicated to the ſaid Saints.

Cernitis, heu, paſſim, ſemuſtaq; membra virorum:
Triſtis ubiq; pavor, triſtiſſima mortis ubiq;
Horrendæ facies, quatit ardua ſydera clamor,
Singultus, gemituſq;, & mixtus murmure planctus.
Ter ſol luciferum gelidis caput extulit undis,
Lucentemq; comam velatus nube rubenti
Permixti flammis fumi, lugubria lugens
Fata, exſpiranti dat lumina triſtior urbi;
Qualia cum Phæbea ſoror terram inter & inter
Fratrem ſe mediam convolvens ſydera texit.
Necdum flamma iras ponit, non unius urbis
Exuviis avido ſatiato gutture, at inſtat
Abſorbere alias, aliaſq;, & jam imminet atrox
Urbi quam decorant antiqua Monaſtica 1 fana
Obverſa occiduo ſoli; jam tecta minatur
Plurima quæ a reliquâ *Tameſis* 2 diviſerat urbe
Auſtrali ſubjecta auræ; nunc quæ vaga circùm
Mænia 3 ſe attollunt; nunc quæ tu nauta per alti
Fluminis extenſas ripas utrimq; 4 frequentas;
Nunc quæ caſtra 5 tenet *Mars* ipſe *Britannicus*, ingens
Quamvis tutetur flumen, vallum, invia foſſa;
Et miſeranda forent victrici victima flammæ,
Ni Deus auxilium tuleratq;, amimoſq; labantes
Numine præſenti tandem firmaverat æquus.
Fama eſt, Chriſtiadum haud paucos, quos æmula turba
Pontificum 6, fictâ ſub imagine relligionis,
Fecerat exilio damnarier, ullius Urbis
Mænibus haud recipi dignos, neq; municipali
Jure frui, clamans; hunc tandem Numinis alti
Innocuum ſpretumq; gregem, cum nulla ſalutis
Spes erat humanâ dextrâ, penetralibus imis
Semotum, facie macilentum, & corpore fractum
Carceribus, plagiſq;, & veſtes pulvere triſti

1 *Weſtminſter.*

2 *Southwark.*
3 *The houſes and ſuburbs about the Walls.*
4 *Wapping, Rotherhithe and other places on both ſides along the River.*
5 *The Tower.*

6 *N. Romanorum, quibus clam incitantibus hæc lex lata fuit, ut reformati ſeſe invicem lacerantes paratior illis præda forent.*

Aſperſum, genibus curvatum altaria circùm
Sacra Dei, obnixè his votis precibuſq; tremendi
Iram contendiſſe Dei ſedare furentem.
O Pater omnipotens irate, itidemq; benigne,
Qui peccata odiſti, at peccatoribus uſq;
Ignoſcis, ſi corde humili, ſi pectore fracto
Ad te converſi ſcelerata piacula lugent;
Tu quondam Iſacidum gentem, licet uſque rebellem,
Non tamen implacidus voluiſti perdere, ne ſe
Effreni efferrent hoſtes, Nomenq; Jehovæ
Ludibrio foret; alme Deus miſerere tuorum;
Nonne ſat Ignatiis conceſſum eſt patribus unam
Interiiſſe urbem? ſiſte, o ſiſte optime flammas.
Quinetiam Populi cuncta ætas, ſexus, & ordo
Templa petunt mæſti, Cleroq; auctore, viciſſim
Vota Deo, ritè, perculſo e pectore fundunt,
Graſſantem ut placeat tandem compeſcere flammam.
Annuit Omnipotens votis, animoſq; labantes
Inſtaurat populi, procerumq; & ſceptra gerentis,
Monſtravitq; viam quæ tuta repelleret ignem.
Ergo, favente Deo, magnâ comitante catervâ
Nobilium, plebiſq;, & fratre, & milite multo,
Sceptriger intrepidus circumvolat, undiq; flammæ
Obvius, & ſacro volvens ſub pectore vulnus
Illatum regnoq;, ſibiq;, & corde volutans
Fatalem exſtinxiſſe ignem, dat juſſa ſecutis.
Feſtinate viri, atq; opponite pectora flammæ,
Ipſe favens aderit Deus, hæc hæc ſternite tecta,
Ipſe viam oſtendam, vos fidi attendite dictis.
Non vacat harpagone, ut quondam, non funе tenaci
Detraxiſſe trabes lentas, heu, flamma volucris
Improviſò aderit, laceratаq; tecta prehendens
Contiguas ædes rapiet, ſed flamma repelli

Per flammam debet, ſic regna furentis averni
In ſe verſa cadent, concuſſaq; flamma recedet.
Pulveris, haud mora ſit, nitrati vaſcula centum
Vos totidem tectis ſupponite, tædaq; lucens
Accendat, dicto citius tollentur in altum,
Et ſublata dabunt recidentia corpora terræ;
Undiq; proſtratis immittite flumen aquarum.
Nec mora, feſtinant alacres, & juſſa faceſſunt:
Utq; urbs, hoſtili cum cingitur undiq; vallo,
Deficiente cibo, perit intima viſcera rodens;
Sic, cum proſtratis domibus circumdatur atrox
Flamma, ut ad intactas nequeat perrumpere, tandem
(Ut quartò rediens ſol ſtratam aſpexerat urbem)
Deficit, abſorptis quas ante invaſerat ædes.
Nos Deus eripuit flammis ferroq; ſacratos,
Et jam ſole novo felicia tempora reddet,
Inq; renaturam ſervabit mitior urbem.

CARMEN IN LAUDEM *HOLLANDIÆ.*

Sive Declamatiuncula Poëtica

P. C. Merc. Lond.

Tunc temporis, *Amſtelodami* degentis, Publicè pronunciata a *P. P.*

Coram Scholarchis, præceptoribus, & totâ *Amſtelodamenſi* Scholâ: Viriſq; aliis literatis haud paucis, More locoq; ſolitis.

Anno 1658.

TElluris *Batavæ* laudes, urbeſq;, viroſq;
Dicere fert animus, campoſq;, & flumina læta
Queis regio ſummi contingit ſydera cœli;
Materies, vereor, ne ſit nimis alta puſillis
Viribus, & tenui ſordeſcant grandia cantu:
Suggere, Muſa, mihi, quo tandem numine, queiſve
Auſpiciis tantum meruit gens inclyta nomen;
Erueq; ex imâ, veterum, caligine, geſta.
Amſtelii proceres, & vos quos magnus *Apollo*
Pieridum caſtris præfecit, lecta juventus
Æmula, Muſarum totâ comitante coronâ,
Vos detis placidas tantillis verſibus aures
Oro, nec offendant malè condita carmina doctos.

Arx

Arx munita jacet nomen cui *Schenckius* 1 olim
Conditor ipſe dedit, duplici circumdata fluctu,
Hinc *Rheni*, hinc *Vahalis*; Regio hîc antiqua *Batavûm*
Cepit, & his longe fluviis madefacta, *Brittannûm*
Vertit in Oceanum; *Germanos* undiq; fortes
Sedibus huc propriis fama eſt migraſſe relictis:
Hos delere, *Gothos* memorant, & pellere cunctis
Conatos agris; aſt imperterrita crebris
Cladibus audaces ſeſe gens rurſus in hoſtes
Armat, & ut poſſit victrices pellere turmas,
Tam latâ, ſeſe, deſertâ ſede, minores
Contulit in terras, quas hinc cava flumina, vaſti
Hinc maris unda fremens muniret, & invia ſtagna,
Et limoſa palus; facilé hoſtem ſiſtere ovantem
Hîc valuêre; brevi nova terra *Hollandia* dicta
Surgit in immensùm: Tantum cum Pallade junctus
Mars potuit; tantum *Batavûm* nova gloria crevit:
Hinc *Batavûm* patres, hinc quæ nunc mœnia cernis;
Hîc pubes longâ pace aucta, paterna relinquit
Arva anguſta nimis, totumq; perambulat orbem.

1 *Munitiſſimum propugnaculum vulgò Schencken Schans*

Olim *Creta* potens centum ſibi vendicat urbes,
Hîc Cereris pleno diffluxit copia cornu.
Roma ferox armis populos viciſſe potentes
Jactat, & imperium, Ponti ſibi cingier undis.
Græcia docta viros ſeptem quos magnus *Apollo*
Dixit prudentes ad lucida ſydera tollit.
Et *Tyrus* & *Carthago* vetus ſua vela tuliſſe
Neptunum clamant, fulvoq; repleta metallo
Sæpe ſuos, curſu, portus petiiſſe ſecundo.

At

At *Cretæ*, & *Romæ*, *Graiiſq;*, *Tyroq;* ſuperbæ,
Eripit & Pœnis longè una *Hollandia* palmam.
Hîc viget alma *Ceres*, fructuſq; aliunde petitos
Mittere conſuevit miſeris, cum fervida mundi
Fax æſtu nimio, vel cum nimboſus *Orion*
Imbre vago fruges corruperit. Ipſe Tyrannos
1 *Princeps Auriacus.* *Mars* 1 hîc implacidos ſtravit, faſceſq; *Batavos*,
Quà ſol *Heſperiis* pronus ſubmergitur undis,
Et quà cæruleis placidum caput extulit undis,
Ultra *Romanum* venerandos protulit orbem.

Hîc Muſæ dulces habitant, animoſq; feroces
Ipſæ aptant ſtudiis, *Donſas*, *Grotioſq;* & *Eraſmos*,
Scriverioſq; creant, cordatæ lumina turbæ.
Quis queat innumeros numeris comprendere doctos
Quos hæc terra tulit! Qui non modo docta Pelaſgûm
Dogmata cuncta tenent, ſed & ultra culmina cæli
Ad ſummum verumq; Deum penetrare, triunum
Ac unum noviſſe valent; de quo Schola nobis
Græca, nimis ſtolidè, nil quàm ridenda reliquit.

Quis fœcunda ſatis laudârit prædia! Parva
Hæc regio ingentes viridanti gramine nutrit
Vaccarumq; oviumq; greges; hinc copia preſſi
Lactis, butiriq; externo mittitur orbi.

Rhenus enim fœcundat agros, *Vahaliſq;*, *Moſæq;*
Et *Rottæ* fluctus, tum *Dorta*, ac *Amſtela* lenis,
Ingenteſq; alii fluvii: Non altera tantis
Fluminibus felix regio; *Dryadeſq;* chorumq;
Naïadum huc jures Graiis migraſſe relictis.

Quantæ

Quantæ hîc conſurgunt urbes! quanta oppida! quantæ
Arces excelſo contingunt vertice cælum!
Ingentes pagi! & ſublimia tecta Deorum!

Offert ſe primò *Dordrechtum*, a flumine Dortâ
Sortitum nomen: per ſecula multa, *Batavûm*
Antiqui hic Comites nova ſceptra capeſſere lætis
Auſpiciis ſoliti, & leges jurare tuendas.
Harlemum ſequitur, *Delphiq;*, & ſplendida *Gouda*,
Nec minus his, doctum *Lugdunum* 2: Huc magnus *Apollo*, 2 *Leiden.*
Huc Muſæ viſæ migraſſe, ac hîc nova caſtra
Exſtruxiſſe; illas poſtquam vis barbara, fædè,
Indoctuſq; furor Graiiúm detruſerat arvis.
Mœnia ſuccedunt quæ nomine *Rottera* 3 donat 3 *Rotterodamum*
Majori laudanda ſtylo: Nec et *Haga* ſilebo
Teq;, tuaſq; domos; te magna palatia priſcûm
Exornant, Comitum; te reddit ſylva verendam:
Delecti huc cunctis *Belgarum* ex urbibus unà
Conveniunt ſummam Patriæ ſibi ſumere curam.
Urbes ſi memorem cunctas, arceſve, domoſve,
Non mihi ſufficeret lux quamvis longa canenti.

Te tamen haud auſim tacitè tranſire, beata
Urbs 4 quam hinc Yä ingens, hinc lentis alluit undis 4 *Amſtelodamum*
Amſtela, præ cunctis famâ ſuper æthere nota;
Quamvis non valeam meritâ te dicere laude:
Dicitur, hîc magni Deus æquoris ipſe tridentem
Depoſuiſſe, mariſq; tibi ſua jura dediſſe.
Quid *Tyre*, quid tu *Pæne* tumes? Non navita veſter
Herculeas auſus puppi ſuperare columnas,
Oceanum tantum metuens; Hinc mille carinæ,
Cum creſcens maris unda tegit ſyrteſq;, vadumq;,

Et

Et gratos ratibus portus effecit, in omnes
Vela maris partes faciunt, totumq; pererrant
Felices orbem, quà ſol creſcentibus umbris
Abdit ſeſe undis, & quà ſua ſydera promit:
Quà glacie ſævi maris unda ligata recumbit:
Lætæq; argentum, gemmas, merceſq; reportant
In patrias ſedes, & vaſti ponderis aurum.

TUNBRI-

TUNBRIGIALIA

P. C. Merc. Lond. Ad G. F.

PRime Poëtarum, præclarâ gente *Frohock*â
E dite, major *avis*, nobis data veſtra fuere
T *unbrigiæ* ad Fontem miranda Poëmata, necnon
R eplerunt vacuam ſummâ dulcedine mentem:
V erùm conanti condigna rependere, non mî
S ufficiunt, eheu! vires: (quid enim irrita tardo

C um genio doctrina poteſt?) non divite venâ
A dverſans *Natura* beat; non *Muſa* frequenti
V oto ſollicitata favet; tum mitior adſit
S i nobis, haud digna queam: tamen uſque refectus
T anti Fontis aquis iterum tentabo, voluntas
O bſecro, quæ deſunt, veſtra in me ſuppleat æqua,
N ec malè tornatum contemnat carmen amici.

Quidnam agimus rogitas, quânam fulti arte, jocoſi
Ac hilares tempus conſumimus, improba mentem
Num cura invadat, tueamur corpora, dirum
Triſtitiæ virus pellamus; quomodo chara
Et domus, & conjux, & nata, & filius abſens
Non animum turbent, quæſitaque gaudia rumpant.
Tu tandem fautrix adſis mihi *Muſa* canenti,
Deſque hæc ut valeam jucundo dicere verſu.

MOX ubi grata quies laſſos reparaverit artus,
Et triſti pulsâ caligine noctis opacæ
Oſtentat lucem rubicunda *Aurora*, comamque
Splendentem *Phœbus* referens illuxerit orbi,
Ad Fontem lento gradimur pede; ſaxa nec ignes
Obſtant, procedo tabaco nam fortior hauſto.
Confeſtim advolitat, quæ pocula porrigat ultrò
Plena perennis aquæ, quam fons ſine munere donat,
Qualem nec *Latium* novit, nec *Græcia* jactat:
Illa beat ſiccos fœcundâ ſtirpe parentes,
Deciduumque facit poſt funera vivere nomen,
Illa domat Febres, & ſi malè calculus hærens
Renibus aut peni languentia viſcera torquet,
Illa fugat, pellit curas, & nubila menti
Diſcutiens aptat doctis, ſacratque *Camœnis*.
Atra (olim) Bilis, Febriumq; per intima graſſans
Oſſa cohors, craſſoque obſtrictis ſanguine venis,
Viſcera, cor, ſtomachum invadens arcemque cerebri,
Me exanimem, penè ad *Stygias* detruſerat undas:
Accurrunt Medici, feſtinat Pharmacopolæ
Tota taberna, ruunt conjunctis viribus acres
In lethale agmen, rident Biliſque Febreſque
Conatus, vanaſque minas, & cedere nolunt:
Genua labant, gelido divulſum membra tremore
Mors properata manet, nec ſpes erat ulla renaſci,
Ni tua Lympha, favente Deo, Fons, fuderat hoſtes,
Morbiſque & leto ereptum ſervârat amicis.
O Fons nulli impar! meritos tibi condere honores
Quis par eſſe queat? tua laus (ſi carmina noſtra
Digna legi fuerint, nec edax aboleverit ætas)
Vivet in æternùm, nullis ignota *Britannis*.
Hos inter calices, per amænas arboris umbras
Hinc illinc patulos jactantis in aëra crines

Uſque

Uſque vagor, poſſim ut gelidos tolerare liquores:
Migrâſſe huc jures *Venerem Nymphaſque Britannas*,
Mirè argentatâ ſplendentes corpora veſte,
Captatum inſolito juveneſque viroſque nitore:
Inceſſus ſtupeas verecundos, corporum honores,
Divinas facies, multo fulgentia colla
Auròque & gemmis, quæ vel dedit *India* dives,
Vel cautus tulit *Afrorum* Mercator ab oris.
Non aliter, *Paride* & *Graiis* comitata puellis,
Tyndaris ad *Phrygias* fertur ſpatiata carinas.
Dumque vagi circumferimur, vel tibia melos
Grande ſonat, fidibuſve implentur mollibus aures;
Harmonicâ ad chordas reſonante per aëra voce.
Utque Deus faveat, media inter pocula ritè
Sacra Deo facimus; quippe hîc poſuere Sacellum
Nuper Hydropotæ: nec ſpernitur herba tabaccum,
Vertitur in fumum in ſelectis ædibus, arctis
Hauſta tubis, ſtomachi ſedans accenſa tumultus.
Hîc garrire vacat, ſophiæ alter, ſuſtinet alter
Legumque & juris partes, hic relligionis
Bella movet fervens, lepidus quis narrat aniles
Fabellas, alius, quota jam hora eſt? anne meatu
Lympha fluit facili? profluxit copia quanta?
Dic ſodes: O te felicem! nonne tabellæ
Londino heſternæ quicquam? quas *Gallicus* urbes
Rex crebris cepit bellis? quid ſi arma moveret
Rurſus? an *Hiſpanum* & *Belgas* cum *Cæſare* & *Anglis*
Siſtere poſſe putas? nobis *Hungaria* quidnam?
Chriſtiades-ne *Budâ* potiuntur? quidve *Polonus*
Rerum agit? aut *Venetus*? dic, O bone, nupera quaſnam
Tempeſtas valuit ſaxis illidere puppes?
Proh dolor! an tantis fera ſæviit unda ruinis?
Dum fumum & linguas exercent labitur hora.

Sunt

Sunt quos, inter aquas, fallax excuſſa fritillo
Alea, & incerti ludens ſpes anxia lucri,
Heu! perdit, ſpoliatque paternis turpiter agris:
Sed me a fundivorâ ſervas Deus alte *Charybdi.*
Ipſe inter chordas & pocula curo culinæ,
Ne bella indicat venter mihi triſtia latrans;
Dantur ad hoſpitium nam nulla obſonia venum.
Imâ valle jacet prope Fontem longa patenti
Arbore planities circumdata, maxima quà pars
Potantum (dum plectra movent, Lymphaſque miniſtrant)
Nunc huc, nunc illuc repetitis paſſibus errant:
Mercibus hîc dapibuſq; forum, quo vix datur ullum
Lautius, aut æquè felix emptore frequenti.
Huc *Rija*, quòq; die, ſcombros, ſoleaſq;, ſcaroſq;,
Oſtreaq; & cancros, conchas, rhomboſq; ſalaces,
Piſcium & omne genus, quos unda *Britannica* nutrit,
Mittit ab Oceano; noctemq; diemq; fatigans
Ne vel tantillâ lædant putredine guſtum.
Gobio, mullus adeſt, anguilla, & carpio, trutta,
Et perca, innumeras dat enim piſcina propinqua, &
Flumina vicinos præterlabentia campos.
Nec lepus, aut porcellus abeſt, nec alauda, nec anſer,
Nec capo, nec perdix, nec verſicolor phaſianus.
Turdus, anas, paſſer, gallus, gallina, columbus,
Et quam jam pridem nobis dedit *Africa* tellus,
Nunc ſeſe indigenam clamans, jucunda volucris,
Et variam omnigenis imitata coloribus *Irim*
Argivæ Junonis avis, cygnuſque juventâ
Laudandus, paſſim proſtant; aviumq; cohortes
Clarum triticeæ donant queis nomen ariſtæ.
Cœlum iterùm (ut quondam) dicas pluviſſe volucres;
Uſq; adeò, fora, pennigerûm crebra agmina denſant.
Quantâ ovis, aſſiduus, vituliq;, agniq;, boviſq;
Carne onerat lanius, ſole accedente, macellum!

Natas

Natas eſcæ herbas, quaſq; alma *Britannia* gignit
Fruges, aut ſtomachum quæ condimenta labantem
Reſtituiſſe valent, varioq; placere palato,
Seu ſale, ſeu valido condita requiris aceto?
Libum, aut ſcriblitas, aut qualeſcunq; placentas,
Deliciaſve cupis? vaſta horum eſt copia, namq;
Accola non dubitat confertim adferre colonus.
Zynziber, atq; piper, quæq; *Indus* aromata uterq;
Claſſe, novo Oceano, noſtras dimiſit ad oras,
Affluxere foro, quæ gratum emittere odorem
Tuſa ſolent, ſuavemque cibis præſtare ſaporem.
Mellitæ cannæ quem machina multa liquorem
Exprimit arte novâ (crebrâ fornace recoctum,
Fictilibus teſtis ſiccatum, & fæce ſolutum)
Barbada & *Mevis* tulit, & longinqua *Jamaica*;
Extortum baccis rarò fallentis olivæ
Succum, multiplices uvas ardente refectas
Sole, *Adria*; & flavum *Virginnia* flava tabaccum;
Rhenus, & *Heſperiæ*, & *Teneriffa*, & *Gallia* vinum.
Londinum nequeat mage conſuluiſſe culinæ,
Indomitæque gulæ. Vel perditus helluo cænam
Inſtruere, & lautis aveat laxare ſaginis
Infamem ſtomachum; Non jam maria omnia circùm
Sollicitè, immenſo quærenda cibaria ſumptu;
Ut fertur quondam feciſſe *Vitellius*, omnem
Qui non erubuit cænâ peſſundare fiſcum:
Una vel innumeras cumulet *Tunbrigia* menſas.
Aurea quis numeret? quis vaſa argentea? veſtes?
Lintea? reſque alias queis preſſa taberna laborat?
(Nam fora continuis ſtant circumſepta tabernis:)
Annua vix plures jactet *Sturbrigia* merces.

Abſorptis de more ſcyphis, dapibuſq; coëmptis,
Lentus ad hoſpitium redeo; hîc plerumq; tabaccum
Otia odorifero fallit bene grata ſapore;

Prandia

Prandia poſt paulò ſtomachus ſibi debita poſcit:
Tum vitulus, porcellus, avis, piſciſve, lepuſve
Languentes renovant vires, pingueſve bidentes:
Prandia lætificant vinum, conviva, jocuſque:
Sublatis properat quiſque ad nova gaudia menſis.
Si luſus cordi eſt, in promptu eſt ludere, ſiſtunt
Lignea mox ſimulachra novem, ſtant, ordine, terna,
Agmine quadrato, magno conamine certant
Quis globulo valeat ſubvertere plura rotando.
Eſt locus in ſummo *Ruſthalli* vertice montis
Aggere vallatus quadro, quem ceſpite multo
Undique congeſto planum fecere coloni;
Suntque alii ſimiles, ludis globuliſque dicati.
Lege aliâ mos eſt globulos hîc volvere, parvus
Projicitur primò, luſuris meta futurus,
Alea diſtinguit partes, tum quiſque duobus
Ad libitum electis, contendunt, poplite flexo,
Sæpiùs & propiùs quis metam accedere poſſit:
Tu nimis, haud ſatis ille fugit, tu parte ſiniſtrâ,
Erras tu dextrâ, ſed, Io! tu, mi bone, metam
Percutis, en! ipſam; quàm quàm bene dirigis; Io!
Non de baliſtâ nitrato pulvere jacta
Glans, non de *Phrygio* volitaverit aptiùs arcu,
Ad quemcunque ſcopum ſibi propoſuêre ſagitta.
Ludicræ alliciunt Chartæ magis? en tibi præſtò
Reges procedunt quatuor, totidem agmina multis
Denſa viris; acies magno molimine pugnæ
Undique in arma ruunt; dubiis victoria pennis
Inter eas volitans, tandem, ſine vulnere, palmam
Nunc his nunc illis concedit partibus æqua.
Sed cave ne inſano ludi capiaris amore:
Mille modis variant acies, mille artibus inter
Seſe belligerant miſeri, noctemque diei
Addunt, & diris ſuperos manèſque laceſſunt,

Quum

Quum ſemel è Chartis lucri immoderata cupido
Faſcinat, heu! mentes; dum nummos, prædia, merces,
Ædeſque, ac animas malefido ingurgitat ore.
Non quòd ut illicitum damnem, modò nuda voluptas
Quæratur, tantúmque animum relevare cadentem;
Si longè aufugiat nummi inſatiabilis ardor,
Et tempus timeas nimio diſperdere ludo,
Tempus non auro aut ullis reparabile gemmis.
Sunt quibus unum opus eſt curas depellere ludo
Qui *Cheſs* vulgò audit; deſcenditur ocyus armis
In campum infeſtis pictum; Rex albus & ater
Quiſque acies ſimiles ſibi ducunt: Uxor utriſque
Hæret, Regi quæque ſuo; comitantur utraſque
Bini equites, duplex elephas, & Epiſcopus unus
Ac alter, pedites bis quattuor; impigri utrimque
Reges ſervare, aut triſti ſuccumbere fato.
Jamque dato ſigno concurrunt agmina bina,
Hinc atque hinc multæ clades, ſtudet agmen utrumq;
Captare oppoſitum Regem, palmamq; referre:
Nam quamvis adverſa acies graſſetur, & hoſtes
Multâ cæde fuget campo, niſi callida Regem
Hoſtilem capiat, nullum feret inde Triumphum:
Quippe (hoc lex ludi antiqui luſoria poſcit)
Non niſi captivo paritur victoria Rege.
Sin *Muſa* arridet, profert ſua carmina *Flaccus*
Divino laudanda ſtylo, ſeu quæris amoris
Secretos penetrare dolos, formare Poëtam
Seu placet, aut gradier directo tramite, lætâ
Virtutis laudiſque viâ, quà *Romulus* ingens,
Quà *Janus*, *Bacchuſque* pater conſcendere ſedes
Ætherias valuêre, & magna palatia Divûm;
Seu cupis inſulſos ſecli perſtringere mores:
Dogmata ſeu veterum gaudes haurire ſophorum.

Viſne animam ſacrare Deo? tibi Biblia Sacra
Pandentur, ſanam quæ reddant corpore mentem:
Perdiſcas illic, ut captus imagine veri
Primus quivit homo culpâ vitiare nepotes,
Et morti humanam æternæ ſubmittere gentem;
Morte ſuâ ut *Chriſtus Satanæ* exſtirpârit amarum
Imperium, & mortis ſtimulos hebetaverit, ut non
Chriſticolas lædant veros; hinc gratia ſummi
Admiranda Dei manans, diri agmina vaſta
Peccati fundit, cæli nos arcibus altis
Figit, & amiſſam dat perpetuatque ſalutem.
Illinc noſſe queas, laqueo irretire doloſos
Ut valeat, populoſque unco frænare rebelles,
Ne quando electam poſſint evertere gentem;
Gloria quò Nomenque Dei clareſcat in horas.
Adveniat nobis olim dilectus amicus,
Multa ſtatim produnt generoſi vaſcula vini:
Sume puer cyathos puroque repleto falerno,
Charus amicus adeſt, juvat evacuaſſe, precantes
Regis, Reginæ, Procerum, noſtramque ſalutem.
Quò, quò *Bacche* rapis? quid non tua munera cogunt?
Tu rixas, tu lætitiam, tu promis amores,
Poſt te nec carcer, nec mors, nec ſqualida terret
Paupertas, poſſunt nec curæ avertere ſomnum.
Sol medium emenſus curſum ſenſimque recedens
Hortetur campos, abeunte calore, petendos:
Nunc equitare lubet, nunc parvum fortè pedeſtre
Carpere iter, varios vel in hortis nectere flores:
Cantus avis tremulus ſylvis, vel aperta locorum
Delectant, vel ferre pedes quà retia tendit
Venator lepori, vel quà bene callidus auceps
Inſidias avibus ſtruxit: nunc prælia ſævi
Accipitris ſpectanda vocant; ille aëra circùm
Intrepidè purum volitans, atque ima tumeſcens

Irâ

Irâ corda truci, fugientes præpete pennâ
Inſectatur aves, & prono corpore terræ
Unguibus infigit laceris, roſtroque tenaci:
Sic denſum per ovile rapacibus unguibus atrox
Innocuas leo mactat oves: nunc tendimus altas
Ad ripas, longâ meditamur arundine piſces
Injecto eduxiſſe hamo, retìve, latentes.
Nunc tenues properamus apes luſtrare, labore
Magno ponentes ſua tecta, alvearibus aptis,
Cerea, quæ poſt melle onerent: hinc avocat ardens
Latrantum clamor, qui ſydera ſumma boatu
Concutit altiſono; ruit ingens agmine facto
Turba canum, lætis venantum hortatibus acta,
Seu leporem, cervumve, cavis, vulpemve doloſam
Sedibus excutiant, aſthi per & invia ſaxa,
Per montes pede veloci valleſque feruntur,
Et curſu certant hoſtes ſuperare feroces.
Abſcondit tectis hîc gramina ſicca colonus,
Illic fructiferam perfringit vomere terram,
Semen ut inſpergat latè: nunc robora cædunt
Londinum portanda viri, quibus ardua tantæ
Tecta urbis condant, aut æquora claſſibus ornent.
Nec perit ulla dies, quin, accreſcentibus umbris,
Pulchra puellarum pueris immixta caterva,
(Undique ſpectantum Procerum cingente coronâ,)
Alterno terram quatiant pede; dum fide doctâ
Ad normam motus coguntur, vel ſuper altum
Ruſthalli montem, vel quà clariſſima villa
Auſtralem aſpiciens ſolem tua ſylvula frondet;
Vel quà, *Bickerſtaffe*, arbor tua plurima ferro
Eruta planitiemq; & tecta recentia præbet.
Sic *Hæmo* in celſo, *Pindique* in vertice, plectro
Virgineos agitaſſe choros blandum *Orphea* narrant.

Tandem

Tandem grata quies quæ corpora feſſa vagando
Inſtauret petitur; tum rhonciſſare paratum
Me placidis immergo toris, ſomnoque ſepultum
Læta quies recreat: quum verò craſtina nobis
Aurora attulerit lucem, non ulla laborum
Tædia menti hærent; iterumq; iterumq; peractis
Fallimus, eu! tempus fugiens; curiſque peculî
Proſcriptis, hilarem conamur vivere vitam.
Sic variis animum ſtudiis *Tunbrigia* mulcet,
Ut vix abſentes poſſim lugere *Penates*.

Sed quò *Muſa* trahis? nonne audis murmure quanto
Vatum turba fremant operam quid ſumis inanem?
Quin potius properè ad merces, ad rem faciendam
Mercatorem abigas, audacem Sacra profanâ
Pieridum temerare manu, nullis adeunda
Quàm quibus indulgens *Natura* & fautor *Apollo*
Doctorum adſcriptis albo, dedit eſſe poëtas:
Tolle moras, longùmque, *Frokock* dic, vive, valeque.

F I N I S.